



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Nicolai Lancicii E Societate Iesv Opvscvlorvm Spiritvalivm  
Tomvs ...**

**Łęczycki, Mikołaj**

**Antverpiae, 1650**

An non meliùs esset, carere paßionum dominio, vt in nobis remanente difficultate in benè operando, remaneat occasio meriti, quod crescit, dum superatur difficultas & opus difficile perficitur'. Cap. ...

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-78809](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-78809)

nire, abneget semetipsum, & tollat crucem suā quotidie, & sequatur me; Non consilij, inquit, sunt verba hæc, sed præcepti. Omnes enim tenentur velle venire post Christum, semetipsos abnegare, crucem suam tollere, ita Christum sequi: In quantum autem hæc non facimus, peccamus.

Quid autem sit hæc abnegatio, docent Sati-  
cti. In primis S. Basil. hæc Christi Domini verba ponderans, ait: No: præceptum hoc ad plura arbitramur pertinere, quorum necessaria abnegatio sit. Nā & diabolo renunciamus imprimis, itemque affectionibus carnis, qui abdicavimus occulta dedecoris &c. Et quod hic omnibus magis necessarium est, quilibet sibi-  
met ipse renunciat, qui exiit veterem hominem cum actibus suis, scilicet peccatis.

Et S. Hieronymus eadem Christi verba explicans, ait: Qui impudicus fuit, versus ad Castitatem, temperantiam luxuriam negat: iniquus, si sequatur iustitiam, negat iniquitatem. In omni conversatione, opere, cogitatione, sermone, negemus nosmetipsos, quod ante sumus. & constitemur eos, qui in Christo renati sumus. Ad hæc autem obligamur Dei præceptis.

S. Gregorius similia verbis S. Hieronymi dixit, & addidit: Tunc nos ipsos abnegamus, cum vitam (scilicet peccata) quod per vetustatem sumus, & ad hoc nitimur, ad quod per novitatem vocamur. Pensemus, quomodo Paulus se abnegauerat, qui dicebat: Vivo autem iam non ego. Extinctus quippe erat seivus ille persecutor, & vivere cæperat pius predicator. Si enim ipse esset, pius profectò non esset &c. ac si aperte dicat: Ego quidem à me ipso extinctus sum, quia carnaliter non vivo. At qui præcepto Divino adigimur, ne carnaliter vivamus, ne Christum persequamur. Diversa ergo res est, abnegatio nostri à dominio passionum, quod assequi consilium est, non præceptum, si dominium passionum in tota sua latitudine sumamus. Quanquam aliqua abnegatio nostri, quæ sit per tria vota religiosa, necessaria est, non per modum præcepti, sed tanquam consilium, uti benè explicat S. Thomas loco supra citato.

CAPVT VIGESIMVM TERTIVM.

Hoc passionum dominium estne aliqua specialis virtus, vel qualitas, aut habitus distinctus ab aliis virtutibus, & quid tandem est?

188. **R**espondeo, dominium passionum non esse aliquam specialem virtutem, aut habitum, vel qualitatem essentialiter diversam ab aliis virtutibus, sed esse veluti proprietatem quandam, seu perfectionem ex omnibus virtutibus tam acquisitis, quam infusis ortam, & animæ inditam ac potentis eius, ex possessione extimarum virtutum eis inhaerentium. Cum enim quælibet virtus perficiat potentiam, cui inhaeret, & inclinet ad actus suos proprios, &

armet contra actus contrarios, idè quælibet virtus, præsertim moralis, confert potentiam, cui inhaeret, robur aliquod contra passiones contrarias. Quocirca quando omnes virtutes, præsertim acquisitæ per proprios, & similes, ac uniuocos actus, crescent in magnâ copiam, & (ut ita dicam) quantitate, hoc est, quando peruenient beneficio diuinæ gratiæ, & cooperatione liberi arbitrij, à gratiâ excitati, & adiuti, ad altos gradus suos, tunc acquirit homo robur quoddam, & dominium in passionum motus contrarios rectæ rationi, & virtuti secundum rectam rationem semper operanti.

Quia verò virtutes infusæ, habent altiorem finem, quam virtutes morales acquisitæ, idè accedente veluti imperio virtutum infusarum, præsertim Charitatis, corroborantur, & eleuantur ad altiorem finem actus virtutum moralium resistentes passionibus, easque domantes, ut fortius resistant ac doment passiones, & subiiciant rationi, ac voluntati Dei, & supernaturali ordini, ac luminis gratiæ, ad quem homo per virtutes infusas dirigitur, sicut per morales dirigitur ad finem inferiorem, rectæ rationis, & luminis naturalis. Atque ita dominium passionum, est quoddam veluti aggregatum robur hominis, ex multis particularibus virtutibus, quarum singulæ partiale robur dant homini, ad subdendas rectæ rationi, & Deo, omnes rebelles passiones, eo modo, quo omnes virtutes conferunt homini amorem boni, & odium mali, plus, vel minus, prout sunt magnæ, vel parvæ virtutes, seu maiorem inclinationem acquisitam ad bonum, & maiorem auersionem à peccato.

CAPVT VIGESIMVM QVARTVM.

An non melius esset carere passionum dominio, ut in nobis remanente difficultate in benè operando, remaneat occasio meriti, quod crescit, dum superatur difficultas, & opus difficile perficitur. Vnde S. Augustinus videtur abrogare Beatis in calo virtutes morales, quia ibi nullam sentiunt in operando difficultatem?

190. **R**espondeo non esse melius carere dominio passionum, etsi per illud tollatur, vel saltem minuatur difficultas, quam sentimus in operando, dum habemus indomitas passiones. Duplex enim est difficultas in operando, ut obseruauit S. Thomas: Vna ex magnitudine operis, & sic magnitudo laboris (in operando) pertinet ad augmentum meriti: Altera est ex defectu operantis, (quam pariunt indomitæ passiones in operante) & talis labor diminuit meritum: & à charitate tollitur, quæ feruentius operatur dum sunt passiones edo-

191.  
1. p. q. 91.  
a. 4.

edomitæ, quia non obsistunt operanti: Et hæc est causa, cur, ut alibi docet S. Thomas, efficaciora fuerint hominis opera ad meritum in statu innocentis, quam post peccatum, quia tunc gratia copiosior fuisse, (in sua ætuitate) nullo obstaculo in natura humana inuenio: quia tunc passiones non resistebant operanti, sed magis, quam in dominio passionum, obediabant rationi; aliquid verò, ut supra dixi, ne quidem erant tunc.

cap. 17.  
192.  
3. 2. q. 155.  
a. 4.

Hæc quoque causa est, cur S. Thomas dicat, Meliorem esse Temperantiam, quam continentiam: quia Temperantia virtus, ipsum appetitum sensitiuum subiicit rationi, & quasi à ratione facit domari: Continentia verò importat resistentiã rationis ad concupiscentias prauas, dum sunt vehementes. Continentia enim, ut ait Cassianus, & S. Bernardus, & Abbas Charemon apud Cassianum, dicitur, vbi adhuc ei aliqua resistit aduersus voluptatis, que non est in Castitate seu temperantiã. Et S. Ioannes Climacus, Contimens, inquit, est, qui in medio remotionum, & laqueorum versatur, moresque tranquillos, turbisq, ac tumultibus liberos, viribus omnibus imitari, & affequi contendit. Simili ergo modo melius est per dominium passionum habere passiones appetitus sensitivi edomitæ, quam resistentes rationi, & suã resistentiã difficultatem operandi in ipso operante cauantes. Atque ita merito Theologi docent, nec Christum, nec B. Virginem habuisse difficultatem in operando, quam adferunt passiones rationi resistentes: quamuis enim meritum sit, compescere motus passionum contra rectam rationem exurgentes, perfectius tamen est, illis carere, & assimilari Deo, ac Beatis in celo, qui tales motus, nec habent, nec habere possunt, & Deus tanquam summa Sanctitas, nil etiam inuoluntarium legi diuinæ contrarium pati potest. Quid enim beatus, inquit S. Chryso- stomus, quam intestino liberari bello? Nam quamuis plurimã pacẽ externã fruamur, si intra nos cogitationum nascatur tempestas, tumultus, & seditio, nil externa pax nobis proderit. Sicut neque miserabilis est aliud ciuitate, que licet sit aggeribus & muris benè munita, intus tamen ciues foueat proditores. Hoc igitur ante omnia nobis sit curæ, quomodo animam à turbulentia vindicemus, & in tranquillum statum educamus, & ab omni liberemus amaritudine, que etsi multa fruamur quiete, & iis qui familiaritatem nobiscum habent, finis blandi. Vtilitas autem illa meriti, quæ oritur ex passionum inquietantium nos restratione, sicut in Adamo in statu innocentis, ita & in Christo Domino, ac B. Virgine compensabatur, & compensatur in Beatis superabundanter, maiore excessu charitatis, & aliarum virtutum, quæ suos actus feruentiores eliciebant, non habendo resistentes passiones, quam eliciissent feruendo resistentes passiones. Idem iudicium est de Beatis in celo, in quibus actus virtutum, illi caelesti statui conuenientium, sunt feruentissimi, & quamuis feruentes non essent, quia tamen in illis suæ regulæ & diuinæ menti sunt

Cass. l. 6.  
Iust. c. 4.  
Ber. f. de  
ueb. Sa-  
piori.  
Coll. 12.  
c. 10. & 11.  
g. 1.

193.  
Suar. to. 2.  
in 3. p. dif.  
4. sect. 5. 5.  
Dices.

l. 34. in 6.  
Gen.

conformes, & iuxta eam elicit per recessum ab extremis, ac proinde sunt moderati & recti, sunt laude digni, ut benè docet ex S. Thoma Ferrariensis.

1. 4. cont.  
gentes. c.  
70.

Dices. Si quis eliciat actum Religionis vt 4. sine vllâ resistentiã, alter verò etiam eliciat actum Religionis vt 4. cum resistentiã, huius actus videtur esse præstantior, quia laboriosior, & difficilior.

194.

Respondeo. Non erit præstantior, quia difficultas ex parte operantis non auget meritum, sed potius reddit actum minus præstantem; perfectior enim modus operandi est, operari sine resistentiã Diuinæ legi contrariã, quæ quamuis peccatum non sit, si inuoluntaria sit, est tamen effectus originalis peccati, quandoque etiam actualium peccatorum, & ad peccatum inclinatur, & hominem conturbat, & rectæ rationis ac Diuinæ voluntati ex se repugnat. Melius autem est, sine his imperfectionibus operari, ideoque sic & Christus Dominus, & Beatissima Virgo, & Adam ante peccatum primum suum, operabatur, & ad diuinum operandi modum, sine vllâ perturbatione operantem, accedebat. Ideò S. Thom. Temperantiam ait esse virtutem perfectiã: Continentiam verò esse imperfectam virtutem, quia cum eã coniuncta est vehementia passionum, quam Temperantia non habet, quia illas edomit. Immo Aristoteles Continentiam cõtradistinguit virtuti.

1. 2. q. 155.  
a. 1.

1. 7. eth.  
cap. 9.

Quamquam fieri potest, ceteris paribus, vt magis sit meritorium ille actus Continentiæ, quo superatur magnitudo concupiscentie procedens vel ex naturali complexione magis pronã ad concupiscendum in vno quam in alio, vel ex opportunitate delectationum concupiscentiam inflammantium magis paratarum vni quam alteri, vt docet S. Thomas. Sed tunc hæc difficultas oritur ex parte obiecti difficilioris, non præcisè ex indomitã passione.

195.

Denique, vt bene ait S. Thomas, Ratio virtutis, magis consistit in bono, quam in difficili. Vnde magis est mensuranda magnitudo virtutis, secundum rationem boni quam secundum rationem difficultis. Et ex hoc principio alibi deducit, perseverantiam illam, que cum magnã difficultate diu susinet aliquid circa quod vehementer afficitur (vt pote non habens perfectam virtutem moderantem has passiones) non esse perfectam virtutem, sed quoddam imperfectum in genere virtutis. Illam verò perseverantiam, quamdiu persistit circa opus virtutis magis perfectum, habens bonitatem, & difficultatem, tum ex ipsa specie actus, que accipitur secundum rationem proprii obiecti, tum ex ipsa diuturnitate temporis, posse esse virtutem, etiamsi ei sit nimis difficile persistere: hoc enim potest conuenire habenti perfectam etiam virtutem.

196.  
2. 2. q. 113.  
a. 12. ad 2.  
197.  
2. 2. q. 137.  
a. 1. in corp. & ad 1.

Ex eodem principio S. Thomas alio in loco infert, præstantiores esse virtutes, Fortitudinem, & Iustitiam, quam Temperantiam; quia etsi difficilior sit refranare concupiscentias, & delectationes tactus quod fecit Temperantia, quam religicare actiones exteriori-

198.  
2. 2. q. 141.  
a. 8. in corp. & ad 1.

res, quod ad Iustitiam pertinet, tamen, quia tamē ali-  
 qua virtus melior est, quando magis pertinet ad bonum  
 multitudinis; Iustitia verō consistit in communicatio-  
 nibus, quae sunt ad alterum, Fortitudo autem in pericu-  
 lu bellorum, quae sustinentur pro salute communi; Tē-  
 perantia autem moderatur solum concupiscentias, &  
 delectationes eorum, quae pertinent ad ipsum hominem,  
 idēdū illa priores, sunt excellentiores, quia virtus ma-  
 gis attenditur secundum rationem boni, quae maior est  
 in illis, quā in rationem difficultatē in quo exco-  
 dit Temperantia. Meritō ergo S. Chrysostomus,  
 ita commendat passionum dominium, & ad il-  
 lud comparandum etiam seculares suos Audi-  
 tores excitat sic: Non ita veneratione dignus est Im-  
 perator in regio sedens solo, diademate redimitus, atque  
 homo, qui rationem in solum Dominatum, & virtutum  
 passionum subiectam, & imperio, quod in illas exer-  
 cet, tanquam splendido quodam reuinctum caput ha-  
 beat diademate. Quid enim, quae, prodest purpurea ve-  
 stis, & corona gemmata, quando passionum captiua  
 fuerit anima? quod ex ista externā libertate lucrum  
 obuenit, quando id quod in nobis potissimum domina-  
 tur, turpi ac miserabili subiaceat seruituti? Nam quem-  
 admodum cum febris ad interiora penetrat, & viscera  
 omnia incendit, nihil nobis prodest, si superior corporis  
 superficies nihil tale patiatur, ita dum nobis anima in-  
 terioribus distrahitur passionibus, nihil exterius princi-  
 patus iuuat, ne ipsius quidem regij solij, cum anima  
 violente admodum impetu a passionibus de throno re-  
 gio deuoluitur, & vltro se submittat, eorumque rebel-  
 les insulsius perimeat? Quod ne fiat, vndique Prophe-  
 ta concurrunt, & Apostoli passiones nostras reprimunt,  
 omnem appetitum rationis expertis seruitatem a nobis  
 amandant, & multo augustiorem regno principatum  
 nobis committunt.

CAPVT VIGESIMVM QVINTVM.

Quae virtutes magis conducunt ad ac-  
 quirendum passionum Dominium?

**R**espondeo. Antequam ad hoc directē respon-  
 deam, scire debent Tirones, virtutes, ob  
 quas homo appellatur bonus, & laude dignus,  
 esse duplices, alias infusas, alias acquisitas.  
 Infusa vocantur a Theologis illae, quae Deus  
 hominibus, & in primā eorum iustificatione, &  
 postea in augmento illius, vna cum gratiā iusti-  
 ficante infundit, siue in receptione alicuius Sa-  
 cramenti, siue dum eliciunt actum contritionis,  
 vel amoris diuini, aut Martyriū subeunt. Hae  
 virtutes infusae sunt praecipuae tres, quae vocan-  
 tur Theologicae: Fides, Spes, Charitas. Vocantur  
 Theologicae, seu diuinae, quia actibus suis im-  
 mediatē circa Deum versantur, & hominem  
 Deo coniungunt citra medium: Fides, credendo  
 illi, & in illum, Spes sperando in illo, Charitas  
 eum diligendo.  
 Praeter has tres virtutes Theologicas, infun-

duntur etiam tunc a Deo aliae virtutes, vti sunt  
 quatuor, quae vocantur Cardinales, Prudentia,  
 Iustitia, Fortitudo, Temperantia; & aliae com-  
 muniter omnibus nota, Religio, Humilitas,  
 Penitentia, Obedientia, Castitas, & similes, quas  
 infra enumerabo, & naturam singularum ex-  
 plicabo breuiter.

Et hae omnes virtutes tam Theologicae, quā  
 aliae, augentur in iustis, dum vel Sacramentum  
 aliquod ritē suscipiunt, vel quoduis aliud opus  
 bonum supernaturale faciunt, a quacunque  
 tandem virtute illud procedat: per illud enim  
 augentur omnes profus virtutes in iusto, etiā  
 ea, quae habent actus suos essentialiter diuersos  
 ab illo opere alterius virtutis.

Porro hae virtutes infusae, tam Theologicae,  
 quā morales, tam diu durat in homine iusto,  
 quam diu ab illo gratia sanctificans non exclu-  
 ditur per aliquod peccatum mortale, quo vel  
 vnicō commisso, perdit homo gratiam Dei, &  
 omnes virtutes infusas, solā fide, & spe exceptā,  
 tanquam radicibus quibusdam a Deo relictis  
 in peccatore, vt actus Fidei, & Spei eliciendi  
 possit se Diuinā gratiā beneficio disponere ad  
 penitentiam, & recuperare gratiam per pecca-  
 tum mortale amissam. Manent tamen virtutes  
 acquisitae. Fidem verō, & Spem non amittit, nisi  
 committat peccata mortalia Fidei & Spei con-  
 traria.

Dilectionis radix est Charitas, inquit B. Lauren-  
 tius Iustinianus: virtutes verō cetera spirituales rami  
 esse noscuntur, in illā tanquam in radice inserta. Succide  
 radicem, & repente rami, fructus excidentur, & fo-  
 lia. Tolle de corde hominis iustificati charitatem, &  
 infructuosa cetera efficiuntur virtutes, scilicet quoad  
 meritum vitae aeternae: Charitas autem vel est  
 ipsa gratia iustificans, vt quidam putant, vel ve-  
 rius, comes inseparabilis gratiē iustificantis, quā  
 per peccatum sublatā, etiam Charitas superna-  
 turalis infusa aufertur.

Deinde sunt aliae virtutes, quae vocantur ac-  
 quisitae, quae acquiruntur non tantum a iustis,  
 sed etiam ab haereticis, & ethnicis, & a Catholi-  
 cis in peccato mortali existentibus. Acquirun-  
 tur autem per actus similes, non omnes simul  
 (vt acquiruntur infusae, ob quemuis actum,  
 Deo eas in homines iustos infundente) sed ea-  
 tantum quae sunt similes, & vniocō cū actibus  
 illis. Exempli gratiā: Humilitas acquiritur per  
 actiones humiliationis, Patientia per actus pa-  
 tientiae, Sobrietatis, Temperantia, per actus So-  
 brietatis & Temperantiae, & sic omnes aliae. Ac-  
 tus tamen virtutum acquiritarum ritē facti,  
 disponunt ad augmentum infusarum, vt ait S.  
 Thomas. Porro si iustus peccato mortali per-  
 dat gratiam, & virtutes infusas, (quae perdi tūc  
 solent) non perdit tamen eas, quae acquisiuit  
 per actus similes & vniocōs. Tunc tamen eas  
 perdit, vel minuit, quando exercet actus con-  
 trarios directē acquisitis virtutibus: humilita-  
 tem

1. 2. q. 11.  
 a. 4. q. 63.  
 a. 3.  
 cap. 26.  
 27. 28.  
 1. 2. q. 63.  
 a. 2. ad 2.  
 & q. 65. a.  
 3. & 4. &  
 q. 71. a. 4.  
 & q. 73. a.  
 1. ad 2. Et  
 2. 2. q. 24.  
 a. 1. & 2.  
 & q. 133.  
 a. 1. ad 2.  
 de trium-  
 ph. Chri-  
 sti agone  
 cap. 14.  
 201.  
 1. 2. q. 63.  
 a. 2. & 4.  
 & q. 65. a.  
 2.  
 202.  
 1. 2. q. 92.  
 a. 1. ad 1.  
 203.